



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. XV. Quid sit assecuratio, & fidejussio?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

ta & damna danti & accipienti communia sint: interdum verò ita, ut pecorum dominium, ideoque etiam periculum, siue casus fortuitus, spectet ad solum dantem, emolumenta autem fructuum, nempe foetus, lanæ, lactis, ad utrumque. *v. Less. hic & Laym. l. 3. t. 4. c. 20.*

DUBIUM XV.

Quid sit Assecuratio, & Fidejussio?

Resp. I Contractus Assecurationis est, quo quis alienæ rei periculum in se suscipit, obligando se vel gratis, vel pro certo pretio, ad eam compensandam: si perierit. Quod si gratiâ fiat, est gratuita promissio: si pretio, est quasi emptio, quâ assecurans vendit suam obligationem præstandi alteri rem ejus indemnem. Ad ejus justitiam requiritur, ut eventus rei sit incertus utriq; saltem quoad notitiam, quam de eo habent, qua alioqui non ser-
yaretur æqualitas, *Less. Bon. d. 3. q. 9. p. 3. Less. lib. 2. c. 28. dub. 4. n. 24.* Unde resolves.

I. Si assecurans certus sit rem esse in tuto, iniquè pretium petit, & tenetur restituere, *Ibid. Bon. d. 3. q. 9. p. 3.*

II. Si res nondum est in tuto, etsi privata scientia sciat non fore periculum, licere nihilominus pretium ordinarium assecurationis accipere, dicit *Less. l. c. n. 27.* Quia illa obligatio, ob pericula ordinaria magni æstimatur: & causæ occultæ, quæ periculum minuunt, non imminuunt communem æstimationem. Verum id *Bon. d. 3. q. 9. p. 3. n. 3.* & *C. Lugo d. 31. s. 7.* rectius negant.

III.

III. Si cupiens rem suam assicurari, certò sciat eam jam periisse, non potest pacisci de ejus assicurazione, v. *Less. l. c. n. 25.*

Resp. II. Fidejussio est contractus, quo quis alienam obligationem suscipit implendam, si debitor principalis non solverit. Ita commun. Doct. *V. de resol. ves.*

I. Pro fidejussione licet accipere pretium, etsi nullum periculum timeatur, quia ex se pretio est æstimabilis. *Nay. Az. p. 3. l. 11. c. 22. d. 5. Fill. n. 159.*

II. Mulieres ex fidejussione (saltem si juramentum absit, & instrumentum publicum) non tenentur, uti nec Clerici, nisi quatenus solvere commode possunt, ut non egeant, v. *Laym. Bon. q. 9. p. 2. Less. l. 2. c. 28.*

III. Fidejussor non obligatur plus, quàm principalis, & hujus obligatio si sit invalida, erit etiam fidejussoris, *C. Lugo, & c. comm.*

IV. Fidejussor regulariter non potest conveniri, nisi facta excussione principalis debitoris constet ipsum non esse solvendo, *Azor. l. c. Fill. n. 153.*

V. Debitor tenetur de omni damno sua culpa accidente fidejussori, &c. v. *Azor. d. 10. Bon.*

VI. Ex fidejussione Religiosi propria autoritate facta monasterium non obligatur, nisi quatenus in ejus utilitatem versum est, v. *Less. c. 28. & Laym. c. 29. n. 7.*

VII. Qui fidejussit pro reo, cui periculum capitis impendebat, si hic aufugit, non est ejus loco plectendus, quia non præsumitur sic se obligare, imò nec potest, cum non sit dominus vitæ, *Sylv. Bon. Less. d. 7. n. 41.*

VIII. Si debitor sua culpa non solvit; tenetur fidejussori, qui pro ipso solvit, non tantum ipsum debitum, sed etiam damna & expensas omnes compensare. Si verò sine sua culpa, v. g. ob impotentiam non solvit, ad solum debitum videtur teneri. *Azer. Sylv. Sa, Bon. Trul. c. 26. d. 2.*

DUBIUM XVI.

Quid sit Pignus, & Hypotheca?

Resp. Pignus est contractus, quo debitor dat creditori rem aliquam mobilem vel immobilem, ut sit pro debito obligata, ex eaq; solutio peti possit. Aliquando tamen pignus accipitur pro ipsa re, quæ datur. Differt autem ab hypotheca, quod pignus propriè sit rei mobilis. *Molin. Fill. Bon. q. 10. p. 1. Unde resolves.*

I. Pignore non licet uti contra voluntatem domini: quia est res aliena, ad securitatem tantum, & non ad usum tradita: *Bon. l. c. ex Mol. Reg. & c.* Si tamen utatur v. g. equo vel agro, debet valorem usus (uti & fructus omnes, si sit res ex se fructifera) computare in sortem, deductis expensis, quia alioqui committet usuram, cum res domino suo fructificet. *Narv. Bon. Trul. c. 26. d. 2.*

II. Non possunt oppignorari, quæ non possunt vendi, v. g. Ecclesiæ, *Mol. d. 530. Less. l. 2. c. 28. d. 5. Bon. l. c.*

III. Immobilia, uti & mobilia pretiosa, cultui divino dicata, v. g. calices, casulæ, & c. non possunt oppignorari, nisi in necessitate, quia tunc etiam vendi possunt, ut Ecclesiæ & indigentibus subveniatur, v. *Narv. c. 17. Less. Bon. l. c.*